

פּוֹבָה זָוְנָה h.e. *est ad formam*, significatque mulierem vendentem cibum. Eodem modo R. Jona l. c. exponit Joel. IV, 3. & posuerunt puerum pro cauponaria. Altera est Hebræis propria, nempe **זָוָן**, quæ notat, *scortatus est*: id, quod patet ex plurimis Sacrae Scripturæ locis. Ad hanc igitur, qui vocis **זָוָנה** referunt originem, per *scortum*, *meretricem* illam explicant, necesse est.

§. II.

Hæc qui considerant, non mirabuntur, quod interpretum animus fluctuet, & in diversas sententias trahatur. Rasche Jonathanem secutus **אֲשֶׁת זָוָנָה** a **זָוָן** *alere* ducit. : Jonathan interpretatus est *Pondekitha*, que talis est fæmina, que varios cibos vendit. Præter adductas Lyram in Comment. in h. l. commovit alia ratio, ut Rachabam pro cauponaria haberet, quod nempe Salmoni illa in matrimonio sit conjuncta, qui princeps nobilioris tribus Judæ eam non duxisset, si actu infamis fuisset. Pontasius quoque Difficil. Loc. Tom. I. quæst. LV. p. 714. extra oīnnem controversiam non esse existimat, Rachabam scortum fuisse, quia ejus posteri inter Israelitas habitare permitti sunt, quia Deut. XXIII, 2. *Mamseres* h. e. ex scorto nati arceantur. Pari modo eadem pro hospita habetur a Fesselio Advers. Sacr. Lib. II. cap. XXVII. p. 172. seq. partim quod **דָנָה** quandoque Hebræis significet *vendere*, *mercaturam exercere*, Jes. XXIII, 15. 16. partim, quod Chaldæus **זָוָנָה** vertat **פּוֹנְרָקִיתָה** Jos. II, 1. VI, 17. 22. 25. partim quoque, quod LXX. reddant *πόρνην*, quæ vox descendit a *πέρνημι*, vendendo, uti meretrix a merere, unde Xenodochia sive tabernæ meritoria dicuntur Philox. Gloff. Alii aliam viam ingrediuntur, ut labem impudicitiae ab ea abstergant: quos inter est Simonius Diction. Bibl. P. II. p. 411. Statuit enim ille, quod quidem fuerit publica meretrix, sed quæ in idoli sui honorem quibusvis se prostituerit, qualia scorta magistratus permisit, religionis opinione seductus. Hoc vel exinde patere existimat, quod parentes eam solam in domo quadam ad portam sita habitare permiserint, quodque sine marito & infantibus vixerit. Hoc enim parentes non to-